

AN 20
HARMONIA

INTER
ANIMAM ET CORPVS
PRAESTABILITA

ILLVSTRIS VIRI
GODOFREDI GVILIELMI LEIBNITHI
JVXTA MENTEM
EXCELLENTISS. VIRORVM
ISAACI NEWTONI

ATQVE
SAMVELIS CLARCKII
ANGLORVM

SIT MIRACVLVM?

DISSERTATIO PRIOR

QVAM
CONSENSV AMPLISS. FACVLT. PHILOSOPH.
PRAESIDE

M. JO. SAMVEL BILLEBIO

THVRINGO
IN ILLVSTRI ACADEMIA VITEMBERG.

H. L. Q. C.
DIE FEBR. A. O. R. clō Iccc XXV.
DISQVVSITIONI PVBLICAE SVBMISSAM

DEFENDET
JOHANN. ADAM PABST
WALLRODA THVRINGVS.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.



Q. D. B. V.



agnae illius *Britanniae*, cujus nuper admodum in dissertationibus criticis meis, altera, *de Literatoribus ex tribu Sebulon oriundis*, altera, *de Literis Prophetiis a tentamine critico* CL. VIRI WHISTONI vindicatis, disquisitioni publicae submissis, Viros Orientalium literarum atque antiquitatum peritissimos, CASTELLOS, HAMMONDOS, POLIOS, LIGHFOOTOS, ROBERTSONIOS, CLARCKIOS, LEIGHGIOS, GRABIOS, alios, pro instituti ratione allegando eorumdem famam modeste excitavi, pulchrum enim, auctore PLINIO, imprimis mihi videtur eos, non pati occidere, quibus aeternitas debetur; Eiusdem nunc in hocce *conatu physico* Virorum Philophorum, BOYLIORVM, COWARDORVM, DODWELLORVM, WALLISIORVM, WHISTONORVM, NEWTONORVM, FLAMSTEDIORVM atque CLARCKIORVM nomina, tantum celebriora quantum ingeniosiora, qua sobriam profitentur philosophiam, haud satis admirari possum; Pravum enim malignumque est non admirari homines admiratione dignissimos. Uti vero MELANCHTHON, a) qui TER in *Angliam* vocatus fuit, ad HENRICVM VIII. REGEM *Angliae* scribendo felicitatem literariam illius Regni affectus mihi videtur, dum ait: *Ingens, decus est R. M. T. quod his difficilimis temporibus unus inter Reges et intelligis et foves studia literarum et verae Philosophiae, quae sunt ornamentum vitae humanae praecipuum;*

A 2

Ita

a) de *Trima* vocatione MELANCHTH. in *Angliam*, vid. ejusd. Epistolae familiarior. ad Camerar. p. m. 232. 252. edit. Voegelianae. Epistolae ejus aut. plures ad REGES et PRINCIPES totius *Europae* collegit PEZELIVS vid. ejusd. L. III Epistol. MELANCHTH. p. 7. sequ. adde CAMERARII Narration. accuratam Vitae MELANCHTH. p. 141. 142. 143. sequ.

Ita Summus Vir G. G. LEIBNITIVS statum rei literariae *Transmarinae illius Saxoniae sive Angliae aureum depraedicaavit seculum.* Inficias ire quidem haud poteram miras somniasse COWARDVM atque DODWELLVM animas, uti V. E. LOESCHERVS, b) Praesul Dresdensium summe *Venerabilis* dudum eruditissime monuit: Nec lectores meos celare constitutum est, multas easque graves LEIBNITIO cum NEWTONO intercessisse dissidentias, ex ingenti acutissimorum in rebus naturalibus noviter inventorum aemulatione oriundas. Nam utrique peritissimi Viri et NEWTONVS et LEIBNITIVS Novatorum Physicorum et Mathematicorum, veluti CARDANVS, CAMPANELLA, HOBBSIVS, TELESIVS, CARTESIVS, STVRMIVS, et quos MORHOFIVS, c) recenset plurima nominum gloria, numerum splendidissime auxerunt. En! quantus VIR LEIBNITIVS, d) Literae ipsae omnesque bonae artes in uno homine summum periculum adire videbantur. Nil erat quod discere velimus, quod ille docere non poterit: Scrutantibus antiquitates thesaurus erat: quantum peritus Juris Naturae et Gentium, quantum rerum philosophicarum? Prudentum Senatus, Collegia Regia et Societates eruditae loquantur: *Illustri*, ajunt, LEIBNITIO, *referavit divina providentia, ut, quo, maxime erat opus, tempore, Theologorum Scholas eodem fulgore collustraret quo Philosophorum haecenus Lycea et Mathematicorum Acroateria plenissimo perfudit.* e) Quam dives autem ingenio, tam dives inventione Novi
Syste-

b) in *Praenotion. Theologicis* contra Irreligionarios. p. 100. sequ. edit. Vitemb. 1713.

c) in Polyhistor. Litt. Philosoph. T. II. L. II. P. I. c. XIII. XIV. p. 229.

d) ILLUSTRIS LEIBNITIVS natus *Lipsiae* 1646. *Hannoverae* denatus 1716. Studuit *Lipsiae*, *Altdorffii*, imo per totam vitam *deperit Libros et Literas*, hinc stupendae eruditionis exemplum, hinc posteris atque Reipubl. literariae ingentia merita, reliquit. De ejusdem saltem *Gaesarino Fustenerio* lepidam conjecturam DECKHERRI annexam: quid? commentarius? an dissertatio? aut cujus nominis generisve? nescio, nec cujus, an masculini, an feminini generis? an utriusque? an nullius? vid. MAGIRI Eponymolog. Critic. p. 369. de Vita LEIBNITII post ECKARDVM atque A. E. L. passim vid. FONTENELLE *Lebens-Beschreibung* Ejusdem. conf. *Histoire de l'Academ. des sciences* 1716. p. 142. sequ.

e) plura Elogia vid. in A. E. Lips. An. 1704. p. 533. et An. 1711. p. 110. ubi *Theodicaea* LEIBNITII in compendio excerpta laudatur.

Systematis, quod et celeberrimum et novissimum a quibusdam acumine excellentiori Philosophico praeditis Viris magis cultum atque politum, *Systema Harmoniae animam inter et corpus praestabilitae* audit. Id quod ut ingeniosissime adinvenit, ita diu pressit, ut cum PLINIO facere possem, *pressa et decora ejus cunctatio*: tandem prodidit in lucem. Hinc statim ad novitatis avidos *Anglos* delatus, Eidem controversias quasdam, cum CL. VIRIS NEWTONO atque CLARCKIO, ut qui pro *mero miraculo* illum venditare haud sunt veriti, foetus hiece ingenii novissimus peperit. Habet enim gloria, in studiis praesertim quiddam *ἀνοινώρητον*.

§. II. Quo vero status quaestionis controversae plenius pateat, ex historia literaria et naturali recentissima quaedam momenta ut ex *Anglia* repetamus, necessum omnino erit. NEWTONVS nimirum, Magnus naturae mystes, Mathematicorumque insigne decus id, quod harmonia praestabilita LEIBNITU sit *verum miraculum*, demonstrare satagebat. CLARCKIVM illum meritis in Ecclesiam, Gratia in Aula, fama inter eruditos splendidissimum vel rationes vel auctoritas summa NEWTONI in ejusdem partes traxit, ut statueret: *Si anima non ageret in corpus, corpus autem simplici motu mechanico se nihilominus conformaret voluntati animae in infinita motuum spontaneitate seu varietate, id miraculum foret perpetuum*. LEIBNITIVS autem pro ea, qua florebat, gratia apud PRINCIPES ad SERENISSIMAM WALLIAE PRINCIPEM, GVILIELMINAM CHARLOTTAM literis humillime scriptis *Newtonianae* Philosophiae quaedam saltem capita depexit, quae deinde, a SERENISS. PRINCIPLE cum CLARCKIO fuere communicata, ut qui NEWTONVM defendens ejusdem quoque hypothesin de Systemate Harmoniae praestabilitae, *quod sit miraculum*, transumfit, et LEIBNITIO literis ad Eundem datis, acute opposuit: LEIBNITIVS propitia semper Minerva usus haud filuit, verum acutissimis et solidissimis exceptionibus dissentientem pressit, hinc exortum felix LEIBNITIVM inter et CLAR-

CKIVM literarium commercium, cui, quod dolendum, mors ultima linea rerum, LEIBNITIVM Mathematicum insignem pede parva pulsans atque circulos ejusdem turbans, supremam imposuit lineam. Osibus vero ejusdem sub terra levi quiescentibus pennam quasi ejusdem Clariss. THVMMINGVS sibi vendicavit, atque ad quintam CLARCKII Epistolam ingeniose satis responsiones *Angliam* usque remisit. f) Verum enim vero licet hi *Duum-Viri Angli*, harum rerum maxime periti aequae ac curiosi fuerint, positionesque illorum firmis quibusdam videantur niti hypothesibus, tamen nil impedit, quo minus in examine et applicatione ad Systema LEIBNITIANVM easdem haud quadrare atque rem minime exhaustare, pro virili discernere conemur. Nam quae Systemata diversissimis *descriptionibus, principiis*, atque *operationum connexionibus et modis* nitantur, illa nullo ratiocinio vel consequentia legitima una eademque esse possunt. Nunc quum omnia haecce in systemate harmonias praestabilitae et miraculo maxime dissentiant, prius itaque nobis quam verissimum videtur, et haud multis demonstrandum: posterius autem prona exinde fluet consequentia.

§. III. Sobrias autem philosophicas cogitationes de anima ejusque viribus, monitore EXCELLENTISSIMO LOESCHERO, g) ut expromamus nec contra tenerrimam animam ipsammet nostram, qua cognita est, peccemus, ingenue fatemur atque monemus: Nos LEIBNITHI cogitata circa hanc arduam materiam omnia nec probare: nec eo arrogantiae procedere, ut cuncta rejiciamus, et apinis triscis et fabulis cum inconstantibus sententiarum suarum desertoribus comparemus. Pro instituti ratione saltem, *primum DESCRIPTIONES deinde PRINCIPIA et demum OPERANDI MODVM Systematis harmoniae praestabilitae animam inter et corpus admiraculi phaenomena et requisita* haud invita Minerva applicaturi sumus. Quod itaque *primum descriptiones atque nominales*

f) Collect. Epist. LEIBNITHI et CLARCKII vid. it. A. E. L. 1720.

g) in dissertat. phys. exhib. Cogitat. de Anima Sobrias. Vitemb. 1724. hab.

minales definitiones Systematis LEIBNITIANI maxime concernit, optimus earundem et interpres et pararius ipsemet auctor ejusdem erit: Is enim perspicacissime perpendens difficultates *Systematis influxus Physici* animae in corpus et corporis in animam, id quod et *Aristotelicum* nuncupant, nec non *causarum occasionalium*, id quod Systema ab ingeniosissimo auctore, *Cartesianum* volunt, nec non concludens, quod primum eidem ingenti scrupulo de impossibili ad demonstrandam immortalitatem animae laborare videretur: secundum autem Deum ἀπὸ μηχανῆς seu actorem machinarum perpetuum excitaret, atque rebus praeficeret, haud facile sed multis lucubrationibus per decennium demum politis relectisque inutilibus a se impetravit, ut difficultatibus superandis commodum in medium produceret Systema hocce harmoniae praestabilitae, quod ipsius auctoris verba dilucidius declarant: *b*) Ainsi étant d' ailleurs persuadé du „ Principe de l' Harmonie en general et par conséquent de „ la preformation et de l' harmonie preetable de toute „ choses entre elles, entre le nature et la Grace, entre les „ Decrets de Dieu et nous actions prévues, entre toute les „ partes de la Nature et meme entre l' avenir et le passé : „ Le tout conformement a La Souveraine Sageſſe de Dieu, „ dont les ouvrages sont les plus harmoniques, qui il soit „ possible concevoir, et quae plura sequuntur. Concludit itaque ab harmonia sapientissima omnium rerum ad specialem animae et corporis, quam interpres ejusdem THEODICAEAE sequentibus germanicis expressit: Dieses Systema saget / Gott habe die Seele bald Anfangs so geschaffen / daß sie sich dasjenige in der Ordnung hervorbringen und vorstellen soll / was im Leibe vorgehet / und den Leib auch also / daß Er das von sich selbst thun soll / was Ihm die Seele befehlet. Also müssen die Gesetze / welche die Gedanken der Seele

b) confer Ejus *Essais de Theodicée sur la bonte de Dieu, la liberté de l'homme et l' origin. du mal.* §. 62. Translat. German. §. LXII WOLFIVM in *Luculenta Commentatione de differ. Nerus Rerum Sapient. et Fatal. Necess.* nec non *System. harm. praestabil. Sect. II. p. 57. 58.*

Seele in der Ordnung der End-Ursachen und nach der Evolution der Empfindung zusammen verknüpfen / Bilder hervor bringen / die mit dem Eindruck der Körper in unsere Organa übereinstimmen; Die Gesetze der Bewegungen in den Körpern / die in der Ordnung der wirkenden Ursachen aufeinander folgen / müssen miteinander übereintreffen / und dergestalt mit den Gedanken der Seelen übereinstimmen / also / daß der Leib geneigt ist zu agiren / wenn die Seele will.

§. IV. Illustrationis causa adduntur sequentia similia ab horologiis petita. Faciamus enim et concipiamus saltem *duo horologia*, quae consonare debeant. Res expedita reddi potest triplici ratione: *Una* per influxum: si fecerimus, ut alterum agat in alterum idque, vel mutuo, vel ex unica tantum parte: *altera* per causas occasionales, si opificem operi comitem fecerimus, qui dissonantia ceteroquin vel cessatura a motu horologia singulis momentis dirigat: *Tertia*, si sapienter satis perfecimus eas machinas artis, ut singulae suas leges exacte sequantur, easdemque ab initio sibi respondere curaverimus: ita enim, cum utraeque, easdem vel similes exsequantur leges, semel harmonicae factae nunquam dissonent; quae quidem subtiliora huic doctrinae tantum affundunt luminis ex loco comparatorum et motuum, ut facile percipiamus, quid perspicax auctor sibi velit: Praescientiam scilicet et Praeordinationem divinam animam atque corpus tam artificiosissime creasse, ut perpetua inter sese harmonia agant, cognoscant dirigantque actiones invicem, idque ad illustrandam Dei sapientiam infinitam plus, quam quidem alia systemata valere. Majoris autem probationis loco uberiores, systematis commercij animam inter et corpus adspargere *descriptionem* lubitum est: *Numen* nimirum πάνσοφον, quod omnium animae nostrae cogitationum latebras aequae ac *plicas* novit ab initio rerum animae cogitanti et volenti accommodasse aliquod corpus in eundem modum, ut sani mechan-

chanismi seu *legum motuum* virtute haecce peragere valeat, quae animus ipsi vel imperaret vel imprimeret, ac si reale utriusque et physicum foret commercium: Idem etiam *Numen praepotens et sapientissimum*, quod et corporum nostrorum, ipsorummet motus, alienorumque nos ambientium collisiones ab aeterno cognoverit, ita illius animae naturam seu regimen attemperasse, ut ipsius repraesentationes seu impressiones iusto tempore externis illis in corpus agentibus ex *legibus appetuum* apte respondeant. Praevisis autem et praesuppositis legibus motuum qua corpus, et legibus appetuum qua animam, infra dilucidius explanandis, ex hypothese sic loquimur. Longis autem parafangis ab haecce descriptione veri *miraculi delineatio* aberrat; Nam ex physicis doctrinis constat; Quod *miraculum* ejusmodi sit operatio *summi Numinis* aut mediate aut immediate agentis in sensus obvios incurrens, quae ultra hominum, ultra Spirituum vires et potentiam, nec per directionem causarum naturalium fieri potest sed ex *suspensione potius legum motuum* et naturalium perpetratur, uti post BAEIVM, FLEETWODVM, LOCKIVM, et CONNORIVM, cum S. R. BVDDEO, CLERICVS, et CELEB. PFAFFIVS ⁱ⁾ accurate docent. Abludunt itaque CL. VIRI a scopo et descriptionum luce, quae alias nos in arcem causae ducit. Distingvendo quoque superantur *ipsimet* a sagacissimo LEIBNITIO, ut qui probe discernit illud quod est miraculosum apparenter a miraculo uero. Verba ipsius Gallica ad Clarkium haec: L' Harmonie ou correspondance entre l' ame et le corps, n' est pa un miracle perpetuel, mais un effet ou svite d' un miracle primigene, fait dans la creation des choses. Il est vray, que c' est une merveille perpetuelle, comme sont beaucoup de choses

B

choses

ⁱ⁾ in Philosoph. Operibus T. II. Pnevmatolog. Sect. III. c. VIII. p. 133. et S. R. BVDDEVS in Philosoph. Eclect. T. II. Part. V. c. II. p. 261. adde, si lubet, FLEETWODI pecul. Tractat. de Miraculis, et Cel. PFAFFII Institut. Theolog. Dogmat. Moral p. 648. sequ.

choses naturelles. k) Potius inde infertur esse perpetuam, consecutionem illius miraculi, quo natura rerum a Deo constituta est. Cui ergo non competit definitio eidem nec definitum vindicari potest.

§. V. Discussis tenebris ex miraculi descriptione ad commercium animae et corporis relata solummodo, nunc inoffensa pede procedimus ad causae nostrae *momentum secundum*, in quo ex *directione* partim *motuum* et *appetituum* et *principiis generalioribus* et *specialioribus* istius mirabilis commercii et partim *legibus motuum suspensis*, quae suspensio ad miraculum requiritur, (uti sequentes nostrae dissertationis paragraphi ostendent,) *se se invicem sustollentibus*, quod illa harmonia praestabilita haud sit miraculum, pro ea, qua pollemus, ingenuitate, ad oculum demonstrationibus evidentum daturi sumus. In hujus ingeniosissimi inventi intimiora adyta ingredi cupientibus *principia* ejusdem nosse admodum proficuum erit. Post longas subductas vero rationes ILLUSTRIS LEIBNITIVS fundamenta ponit vel *generaliora*, quibus essentiam animae et corporis nec non statum illorum, et positionem in universo: *Specialiora* autem, quibus operationes et vires eorundem invicem exercitas, declarat. *Monad*es enim profundae meditationis suae sustentacula supponit, quas saltem methodi causa ut prima *generaliora principia* supponimus. *Leges appetituum* autem qua animum et *leges motuum*, qua corpus, facilioris adinveniendi et procedendi in hoc schemate et systemate ordinis ergo quam primum haec legentes atque perpendentes mente concipimus. *Monadum* seu substantiarum simplicium omnium, spirituum aequae ac animarum naturam seu vim consistere in repraesentatione universi, quae quidem repraesentatio etiam perceptio et impressio dici potest, acute sentit. Exinde autem quaeras quid universum? *Univ-*
ersum

k) vid. Collect. Litterar. LEIBNITII ad CLARCKIVM. Epist. V. T. I. p. 131.

versum est series rerum inter se connexarum non fatali sed sapienti necessitate et inclinatione, ut alia res ex alia, posita scilicet una sequatur altera, adeoque ut harmonia detur inter causarum *efficientium* et *finalium* decursus, qui quidem decursus, vel operatio aut si mavis, connexio, fundamini loco substratus altiori via nos ducit in penetralia hujus systematis, quae tamen haud patitur nostri instituti ratio, ut intimius rimemur. Porro supponit, quod creatis simplicibus simplicissimis, dentur *Monades* quae pro diverso considerandi modo, ad quatuor classes, simplicium, praedominantium et finitarum, aequae ac infinitarum, referendae sint, quae quidem simplicissimae *Monades* et *Atomis* primo concipiendi modo sint indivisibiles, ejusmodi enim nec interire posse nisi per *supremi Numinis* annihilationem, nec incipere posse nisi per creationem, quae solum *Dei* est, uti de hisce *Atomis*, atque *Monadibus* consensus Philosophorum Veterum, et Recentiorum LEIBNITIO ceteris paribus applaudit. 1)

§. VI. *Monadum earundem mutatio interna, determinatio* atque *consecutio* altiori indagine digna essent, si instituti brevitatis permitteret: licet enim sint indivisibiles, quia carent extensione et partium extra partes proprio, tamen limitatae in essentia, affectionibus, virtute et effectibus conspiciuntur. *Principium* autem esse *intrinsecum*, quo capaces sint monades sibi repraesentare pro statu rerum et situ in uni-

B 2

verso

1) conf. PLVTARCH. de Placidis Philosophor. L. I. c. III. quae. An MOSCHVS *Sidonius Philosophus* seu Phoeniciae Doctor primus de Atomis disputaverit? STUCKIVS haec ad Arrianum refert et STRABO L. XVI. An v. MOSCHVS *Sidonius* è stirpe *Canaan* idem cum MOSOCH, Filio JAPHETI, vid. BOCHARTI *Phaleg et Canaan*, P. I. L. III. c. XIII. column. 185. PETRVS GASSENDVS ex instituto de *Atomis* tradit in *Physf. Sect. I. L. III. c. V.* nec non legi merentur *Divinationes in Principia Philosophiae LEIBNITIANAE* recens. A. E. L. Supplem. T. VII. Sect. IX. p. 50. adde sodes Cl. Viri JOAN. GOTTLIEB van der HARDT *dissert. de Corpuseulis individuis*. Lipsiae 1696. defensam,

verso per repraesentationes, quia referunt *specula*, non illativa, sit venia dictis, sed elativa, diversas, inquam, repraesentationes et mutuo sibi succedentes et quidem in simplicibus secundum leges appetituum, in compositis autem id evenire secundum leges motuum statuunt. *Primam perceptionem monadum*, quod ad existentiam suam attinet pendere a divina voluntate et potentia, quae res possibiles in actum deduxerit: *determinationem* in mundi possibilis idea, jam dum obviam, nasci ex eo respectu, quem res illa habeat ad ceteras omnes in universo coexistentes aut successione connexas: *Consecutiones* autem ipsas diversorum successive statuum sequi leges *Ethico-Logicas*, seu appetituum, uti quidam Cl. BULFINGERVS arguit, ex consideratione causarum finalium eruendas. Ut vero a basiatoribus hujus inventi systematis harmoniae praestabilitae animam nostram inter et corpus, connexio, dicitur *Unio*, non *physica*, sed *metaphysica*, quae ex anima et corpore unum facit suppositum seu personam; ita *Motum* hic non *Geometricum* intelligunt, sed *Metaphysicum*, qui idem est ac vis a Deo corporibus indita. *m*) An vero motum hunc Naturam dicere liceat, hanc litteram non facimus nostram. Contenti enim sumus principia *generaliora* et *specialiora* indicasse. Collectis demum hisce argutis cogitatis imago exprimitur conceptus rei ejusmodi: Quod scilicet Anima humana vivens, simplicissimus Spiritus inter Monadum species, a *supremo creatore* ita ordinata, ut cogitationes et res suas expediat eo ordine, quo DEVS praesciverit et praestituerit, si nimirum accedat positio, situs seu constitutio in serie harum rerum Univerfi sibi met ipsi succedanea: Corpus contra sic constitutu-

m) conf. ARISTOTELIS, GRANDIS, CARTESII, LIPSTORPII, BORELLI, et LEIBNITHI sententiae de Motu Corporum et particular: in Corporibus apud MORHOFF: in Polyhist. Philos. T. II. L. II. P. I. c. VII. it. FOURNENCQVII Univerf. Philos. Synopf. T. III. c. XLI. P. 273. 272. seq. et RECEIL de Diverses Pieces T. II. p. 200.

stitutum, ut actus antecedanei ex regulis motuum sequentes determinent, quasi in horologio, ut praesens gravis fit futuro. Haec autem omnia semel atque simul fieri, DEVM enim sic praeparasse corpus, prolixius commercii hujus scrutatores demonstrare satagunt. Quis autem haec unquam de *miraculis principia et leges* dixerit? quis philosophorum *Monades* principia miraculorum fando unquam audiverit? Nam si duas res physicas accurata animi lance donderandas pro unis, iisdemque aestimare velimus, conveniant, qua *principia et leges naturales*, necessum est: pace itaque *Excellentissimi Viri, CLARCKII* descensum ejusdem in arenam cum ILL. LEIBNITIO ipsomet, si adhuc in vivis superesset, vel cum ejus vindice CL. THVMMIGIO, vel ejusdem hyperaspilte CEL. WOLFFIO, vel interprete quoque haud infelici CL. BVLFINGERO hac super re optassemus. Nunc vero ad alia nos convertimus, et ex invictis observationibus conclusum illis vel inspiciendum vel examinandum, ea, qua unquam decet, modestia, proponimus. *Legum motuum directio, applicatio, exercitium* evidentissimum licet saltem metaphysica in unione seu harmonia praestabilita *conspicuum*, et *earundem legum*, et quod maximum est, *physicarum*, qua motus dirigunt, *omnimoda suspensio*, uti in miraculis solemne est, *se mutuo sustollunt*; hac maxima ad *Summi Viri CLARCKII* verba relata pondus devertit, nam sit ex hypothese illius verum, quod in infinita, si modo motus prius infinitus probatus fuerit, motuum spontaneitate corpus motum se conformaret animae voluntati, quid inde? nonne anima est ens liberrimum, voluntasque ejus gaudet et floret eo dono libertatis quam maxime? Elici autem hinc miraculum et quidem perpetuum, est quod non tantum, quantum Ejus ingenium gravissimum admiror. Brevibus liceat nobis: In quo, suspensas esse motus leges, clare intelligitur, id merito pro miraculo reputatur. Ingeniosissimus autem

miraculorum labyrinthus, qui caret principiis et via exitus seu motus, ille errare facit.

§. VII. Arena sine calce, quod est in proverbio, male cohaeret, ne itaque adhuc in arena amice depugnantes non lucidus deserat ordo, cum de motus legibus diximus, nunc demum et *ultimum* de nexu quasi et cohaesione subjectorum, quae mouentur, i. e. de modo operandi *mechanico* utrinque *conspicuo* pauca proferre tentamus. Ex quo nimirum facile miraculorum fictorum veritas atque perpetuitas in harmonia illa decantatissima collabascet. *Illustris* quidem *Auctor* tam infausto quam infesto *Mechanismo fatali* viam stravisse quibusdam visus est: Verum mens sanior, uti vel *ipsemet* S. REV. V. E. LOESCHERUS in praenotionibus olim sperabat, distinguendo *Mechanifinum depravatam*, *Stoicum fatalem*, *SPI-NOZAE portentum*, *HOBESH prodigium*, a *Mechanismo sobrio*, cautius declarato, *Physices insigni adjumento*, imo praeclaro *augmento*, justis rerum aestimatoribus patelcet, sicut CL. WOLFIVS in *Commentatione luculenta de differentia nexus rerum*, *Sapientis et Fatalis Necessitatis* supra jam laudata ex instituto discernit causamque ejus rei perorare sustinuit. *Machinam* autem, ex mente Illius delineare liceat, quam depingit talem. *Machina* dici potest corpus aliquod, quando varii ejusdem, motus pro diversa partium connexionione secundum leges motus ex statu et motu ejus antecedaneo determinantur et consequuntur. An vero *anima sit machina*? aegre quidam responfionem ferent. Prudenter itaque BVLFINGERUS philosophatur dicens: *Machinam novi generis* per me dicas *animam*, si machinam voces omne id, ubi ordine sibi mutationes succedunt singulae ex antecedentibus determinatae. Quo sensu et LEIBNITIVS eam vocavit *automaton spirituale* vel formale, et quoniam rationale est, liberum. Determinationes autem illae non sunt fatales et non neces-

necessitant, uti multi his offenduntur. Ipsemet LEIBNITIVS liberet fidem et opinionem suam, si gallica ad palatam sunt: C'est une des regles de mon Systeme de l'harmonie generale, que le present est groos de l'avenur et, que celuy qui voit tout, voit dans ce, qui est, ce qui sera. Qui plus est Jay etabli de une maniere demonstratiue, que DIEV voit dans chaque partie l'Univerf tout entier, a cause de la parfaite connexion de choses. Il est enfinement plus penetrant, que Pythagore, qui jugea de la taille, d' Hercule par la mesure, du uestige de son pied. Modus ergo operandi harum substantiarum ex praestituto divino mediantibus legibus motus ex positione in Univerfo est *mechanicus sobrie intellectus*. Ut vero rubrum Systematis harmoniae animae et corporis inscripsit: ita *praestabilitam* ex hypothesibus suis dilucide probavit. Ab *Ente* nempe *potentissimo et Omniscio* Spiritus in Originibus suis seu Monadibus principiis primis, et Corpora qua statum praesentem et futurum et praeteritum praesciendo dirigendo, determinando sapientissime, praevisa et harmonice praestituta fuisse. Haecce breviter allata pro mechanico et naturali motu et modo connexionis in operando animae atque corporis plana via nos ad sequentes conclusiones deducunt: Excludi haec supernaturalia: *Miraculum* autem esse id, quod est *supra naturam*, esse in propatulo. Nam neque ex antecedaneo, neque ex praesenti, neque ex futuro rerum statu et situ ratio inferri potest, quod miraculum aliquod vel fiat vel factum sit motu mere mechanico. Colligo itaque: *Miracula illa NEWTONIANA atque CLARCKIANA ex harmonia falsis consecrariis elicita*, uti ad *primum momentum* meae probationis *infirmis talis laborasse*; ita ad *secundum non nutasse solum sed et collapsa fuisse et demum ad tertium expirasse*. Mirari quidem, illorum acumina haud *desino*: licet miracula illorum jam *desinant*.

§. VIII.

§. VIII. Quae reliqua et connexa et per consequentias
 extructa ad hanc novissimam litem philosophorum sum-
 morum lubens mitto et *monstra* illa philosophica, *Egoismum*,
Idealismum, *Epicuracismum*, *Eleaticismum*, *Spinozismum*, ego qui-
 dem hactenus

Obstupui, steteruntque comae, vox faucibus haesit:

in posteriori autem dissertatione proxime secutura ad
classes miraculorum, quae licet infinita a quodam C. L.
Theologo - Philosopho ex hac hypothese ducantur, in tres
 tamen *classes* distributa ab eodem, non *classicum* sed *harmoni-*
am B. c. d. canam. Quoniam, autem hac quidem vice le-
 ges Scholae nostrae, decori quam maxime studiosae et
 modeste observandae, prohibent plura, ne verbum qui-
 dem amplius de meo addam. PLINIVS atque MOMUS, puto
 autem eum, quem LEO BAPTISTA ALBERTVS, *Florentinus*, con-
 scripsit, finem imponant: Ille acutissimus: *Omnes*, ait, *qui*
magnum aliquod memorandumque fecerunt, (ut LEIBNITIVS) *non*
modo venia, verum etiam laude dignissimos judico, si immortalita-
tem, quam meruere sectantur, victurique nominis famam, supre-
mis etiam scriptis prorogare nituntur: Hicce, cenfor lau-
 datorque honesti: *Matrem*, inquit, *Virtutem binae*
gemellae, Laus et Posteritas con-
sequuntur.

Μ Ο Ν Ω Θ Ε Ω

Δ Ο Ξ Α.

01 A 6731


ULB Halle

3

004 122 828







B.I.G.

Farbkarte #13

20

AN
HARMONIA
INTER
ANIMAM ET CORPVS
PRAESTABILITA

ILLVSTRIS VIRI
GODOFREDI GVILIELMI LEIBNITHI
JVXTA MENTEM
EXCELLENTISS. VIRORVM
ISAACI NEWTONI
ATQVE
SAMVELIS CLARCKII
ANGLORVM
SIT MIRACVLVM?

DISSERTATIO PRIOR
QVAM
CONSENSV AMPLISS. FACVLT. PHILOSOPH.

PRAESIDE
JO. SAMVEL BILLEBIO
THVRINGO

IN ILLVSTRI ACADEMIA VITEMBERG.

H. L. Q. G.
DIE FEBR. A. O. R. clō lccc XXV.
DISQVISIONI PVBLICAE SVBMISSAM

DEFENDET
JOHANN. ADAM PABST
WALLRODA THVRINGVS.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE.